

teritii, adeoque superior est magis inuitus: malitia proprietarii, & malitia furti sunt duae species distinctae, prior contra paupertatem, posterior contra iustitiam, quae saepe sunt simul in eodem actu, ut cum rem Monasterii invito Superiore retines, aut extra donas, vel cum rem tibi à seculari datam, invito Superiore retinas, aut extra das; nam quidquid Monachus acquirit, pro Monasterio acquirit.

2634 Separantur; ut cum rem à seculari recipis in tuos usus consumendam, aut alteri sine intus, sine extra, ad tui placitum distribuendam, tunc contra paupertatem peccas, non contra iustitiam, malitiam proprietarii contrahis, non furti; quia stante praefata voluntate dantis, Monasterium non acquirit dominium rei. *Rodrig. in sum. to. 4. cap. 118. n. 27. & 29.* Scotus & Aragon tenet, Religiosum non committere furtum mortale, nisi quando ascendit ad summam duorum aureorum: ut *n. 2. & n. 2617.* Ad hæc opinio licet possit habere locum quoad malitiam proprietarii, est tamen laxa, & non praeficanda quoad malitiam furti. Hinc fit de rebus communitatis, aut maxime alterius Religiosi, fureris pliquam dimidium scutum argenteum, licet non pecces mortaliter malitia proprietarii, mortaliter peccas malitia furti.

2635 Reuera tamen licet pro malitia proprietarii maior quantitas ad mortale requiratur, quam pro malitia furti, certa regula tradit non potest, sed pro utraque est remittenda prudentiæ, consideratis circumstantiis superioris expressis, & Superioris involuntario. Major quidem quantitas ad mortale requiritur, si res, quam Religiosus extrahit, sit de acquisitis proprio labore, & industria, aut de libi ab amico, externo donatis, quam si non sit. Major si rem praefatam detineat, non ad distribuendum extra, sed ad consumendum ad proprios, praesertim necessarios usus, quia in his casibus Superior est minus inuitus. Et maior, si Monasterium Religioso de necessitate non provideat.

2636 *Busemb. lib. 4. cap. 1. dub. 4. addit. Si Prelatus fiat subditum aliquod accipere, retinere, vel expendere, & non prohibet, cum facile possit, consensive videtur.* Unde Sanchez *6. moralium c. 19. ait: Si in aliqua Religione consuetudo viget aliqua recipiendi, vel expendendi, sine licentia, & excolari per tacitam licentiam Prelati, qui id tolerando consuetudinem rationabiliter declarat, ut *n. 990.**

## IN EXTREMA NECESSITATE

2637 **N**on est fur, nec peccat, qui rem alterius surripit, quia in extrema

necessitate omnia sunt communia; ita ut nedum ipse indigens, sed alius (si de suo non habeat) possit surripere ad eum sublevandum; quia tunc surripit nomine indigentis, & ut ejus instrumentum, *Tamb. 1. rom. 1. lib. 8. tr. 2. c. 6. §. 2. num. 1. Anton. 1. de Spir. Sanct. de reft. tr. 10. dist. 9. §. 8. n. 417. v. num. 406.* Qui vero in gravi necessitate rem alterius surripit, fur est, & peccat mortaliter: constat ex cap. si quis, 3. de furtis: *Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis, furtivus fuerit cibaria, vestem, aut panes, pœnitent per hebdomadas tres, & si erraverit, non cogatur jejunare.* Ratio est, quia sola extrema necessitas facit rem alterius communem; unde in gravi necessitate res alterius non fit tua, & inde non potes eam accipere, in invito domino: hinc qui extreme indigenti non subvenit, contra iustitiam peccat, & charitatem; qui vero graviter indigenti non subvenit, peccat solum contra charitatem. Tum quia opposita opinio aperit viam furti, quia nullus forte ex infima plebe esset, qui se in gravi necessitate existeret non affectaret; adeoque merito est damnata *prop. 36. ab Innocent. XI. pag. 5. v. n. 2739.*

2638 Difficultas est: *An qui in extrema necessitate rem alterius surripit, teneatur eam restituere, si in pinguem fortunam deveniat?*

Affirmat Navarrus; quia extrema necessitas nil aliud requirit, nisi ut sic indigens sublevetur: sufficienter autem sublevatur per mutuum, aut accommodatum cum onere restituendi in casu pinguis fortunæ, abique eo quod dominus re sua spoliatur.

Negat vero Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. lit. KK. quia extrema necessitas facit omnia esse communia, adeoque transferret rei alterius dominium in extreme indigentem quantum ad eam convertendam in proprium usum; ac prout non tenetur ille sibi prejudicare per mutuum, aut accommodatum. Quod intelligitur in rebus ordinariis, minime extraordinariis pretii: ut in n. 2332.

2639 Fateatur autem Scotus citatus, quod si res consumpta in extrema indigentia, sit ab eo rapta non urgente extrema indigentia, fed ante, teneatur eam restituere deveniendo ad pinguem fortunam, quia onus restitutionis tunc habet ortum ex radice delicti, quod prout accendit extrema indigentia, non extinguitur, sed suscipitur. Plures tamen apud Tambur. adhuc hunc à restitutione liberant: omnino tamen sentio cum Scoto: v. n. 2338.

2640 Item qui in extrema necessitate rapuit, & totum non consumpsit, teneatur restituere.

tuere, quod remanet. Quod si totum consumpsit, ipse tamen, urgente necessitate extrema, aliunde habeat, sed non poterat uti suo; ille autem, quando est expeditus, tenetur id, quod rapuit, restituere, quia hinc non dicitur fuisse in extrema necessitate simpliciter, sed secundum quid; unde pro eo habet locum opinio & ratio Navarii. Casus contingere potest in eo, qui bona possidens carceribus detinetur, aut captivus evadit, qui promissis suis rebus uti non valet, & sic in extrema constituitur necessitate.

## COMPENSATIO

2641 **E**st licita, si tres interveniant conditiones. 1. Si non speres faciliter rem tuam, quam alius detinet, apud Judicem obtinere, sed difficultat, & gravibus expensis, ob debitoris potentiam, aut Judicis injustitiam vel negligentiam, & maxime si exinde inimicitiam debitoris times. 2. Si non adit periculum alicujus damni, aut infamiae tui, aut alterius innocentes. 3. Ut opportuno tempore tuos hæredes, aut debitorem, vel ejus hæredes, monas, debitum jam esse solum, ne iterum tuis hæredibus solvatur, his conditionibus adhibitis, licite potes occultam compensationem adhibere, rem alterius pro tua re, quam certo injuste ille detinet, quia tunc non es fur, sed iustus compensator, quilibet enim habet jus ad recuperandum suum idemnis. Qua facta compensatione, res alterius in tuum dominium transit, ita ut, si perat.

## Q. U. Æ. R. E. S.

2642 *Petrus mittit Paulo tibi debitori donum, an possit illud pro te venire in compensationem?*

Resp. cum Tamb. te posse, si donum sit acceptatum à tuo debitore, quia tunc accipis rem debitoris, ad quam habes jus. Non posse, si non sit jam acceptatum: quia accipis rem Petri, in quam non habebas jus.

## F. A. M. U. L. U. S.

2643 **C**ompensari non potest per hoc, quod putet operam suam esse majorem salario, quod recipit; quia vel id putat fore dubio, vel probabiliter; si sub dubio, non potest dominus spoliari possessione certa per jus dubium alterius, si probabiliter, adhuc ad jus rationes probabiles pro domino, qui proinde non potest spoliari possessione certa per privatum iudicium ipsius partis; sed est remittenda res iudicio Judicis, vel prudentis, & docti Confessarii, qui plura considerare debet.

Et praesertim considerare debet: 1. In compensatione famulorum triplex dari pretium

supremum, medium, & infimum, sicut in mercibus: quod mensurari non debet cum integra sustentatione ipsius famuli; ejusque famulatus; sed cum valore laboris. 2. Confectuendum. 3. Si famulus rogavit dominum pro suo famulatu, quia meret utroque vivensunt. 4. Si stipendium sit tenent, sed si dominus habuisset alios, qui pro eodem salario famularent, tunc famulus occulte se compensandum, damnum inferret domino: non sic si dominus alios non habuisset: v. n. 2739.

2644 Si famulus paupertate coactus suum famulatum venderet pretio tenui, minori, infimo, & non essent alii, qui pro eo ferviret, concedit Tamb. *rom. 2. pag. 490. n. 60.* quod possit famulus se refarcire, quia tunc non est causa damni emergentis domino; unde non est de fraudandus famulus iusta mercede.

2645 Puto autem eum se refarcire non posse; quia in conventionibus expresse condonavit domino partem iusti stipendii; & quidem libere; nam non fuit coactus coactione extrinseca facta à domino, sed conventionem pretio tenui libere elegit tanquam medium ad propriam paupertatem sublevandam; tum quia hic videtur ultrovenit venditor sui famulatus: & dominus, si famulus renouisset, licet alios non invenisset, vel tali famulatu se privasset, vel alio modo providisset. Si vero in conductione non fuerit expresse facta conventio pretii tenuis, nec famulus habuit intentionem condonandi partem iusti stipendii; tunc si accedente tempore solutionis, dominus teneatur salarium solvare, potest se refarcire, quia nemo praesumitur velle fervire gratis; debet autem pro sequenti tempore suam mentem de non ferviendo tui pretio domino declarare, alias tenetur salario consentire videtur.

2646 Quoties autem famulus est moraliter certus de injustitia domini, & majori salario sibi debito, quod aliter commode obtinere non potest; tunc potest licite per occultam compensationem se refarcire; quia tunc non est simpliciter putans, sed certo sciens, & quilibet habet jus ad reparandum jus proprium certo laesum.

2647 In tali casu erit famulus. 1. Si inuitus fuerit à domino coactus dolo, minis, &c. ad ferviendum pretio minori infimo iusto. 2. Si dominus pretium minus solvat, quam fuerit in pacto conventum. 3. Si dominus salarium solvat, non in pecunia, sed in aliis rebus, quibus non eget; & quas cogitur vendere viliori pretio; vel si eget, dominus tradit certior pretio, & famulus solet emergere benignior, quia tempore opportuno, quo flet inferiori pretio

emis: quia sic patitur damnum, & nihilominus non valet tales merces domino recufare sine proprio damno. 4. Si dominus ultra famulatum, super quo est facta conventio, alium extraordinarium famulatum imponat, qui distincto salario solet conducti: tunc potest famulus se refarcire, quia nemo praesumitur velle servare gratis, nisi id expresserit; aut intentionem serviendi gratis habuerit.

2648 Id dixi de famulatu extraordinario, nempe de alio famulatu notabili, quia a persona distincta, & pretio distincto fieri solet; quia sunt plures ordinarii famulatus, qui ultra conventum a famulis gratis praestari solent dominis, adeoque non possunt licite de illis se refarcire: *v. in pag. 5. prop. 37 ab Innoc. XI. damn.*

2649 Dominus non tenetur in conscientia famulum famulo in infirmitate solvere, sicut non tenetur conductor pensionem solvere, quando non utitur re conducta ob defectum locatoris. Valde tamen laudo piam consuetudinem, quae Panormi extat quam plurimum nobilium, qui integrum salarium famulis in infirmitate solvunt; ceteros aut opus charitatis tam sanctum exire monco.

#### QUERESI.

2650 Dominus volens plures tabulas depingere vocavit pictorem; at quia fuerunt discordes in quantitate pretii, ei ad pingendum se obrulit famulus qui perfecit picturas, sed nullus ei fuit solutum pretium. An possit occurrere se refarcire.

R. Elp. posse, si non fuit facta conventio, nec habet intentionem pingendi gratis, quia dignus est operarius mercede sua; & quando agit de labore, & opera notabili, nemo praesumitur velle prestare gratis, nisi expresserit. At non debet lucrare pretium, ut alii pictores sed minus, uti ultroneo venditor suae industriae, & operae. In quo pretio computari debet defectus famulatus, si notabiliter ob picturam a famulatu defecerit: *v. n. 2463.*

#### QUERES II.

2651 An liceat Christianis surripere à Turcis, & Mauris?

UT solita claritate procedam, dicam prius de Christianis existentibus in partibus Turcarum, & Maurorum, postea de Turcis & Mauris existentibus in partibus Christianorum. Quantum ad Christianos existentes in partibus Turcarum, & Maurorum.

2652 Certum est, quod Christiani, qui iniuste ab infidelibus captivi detinentur, cuiusmodi sunt, qui detinentur à Turcis, aut Mauris, licite possint à dominis particula-

ribus surripere, quantum sufficit, ut redimantur, & est necessarium ad fugam, & iter ad suos. Ex Decr. S. Congr. S. Officii 13. Augusti 1630. apud Diamam p. 5. r. 13. ref. 98. & Peyr. de Pirat. pag. mibi 330.

2653 Quod autem servi Turcarum possint tam à suis dominis, & ab eis, à quibus sunt iniuria affecti, seu capti, surripere quaeque voluerint, docet Diana *cit.* Idque nedum ratione compensationis injuriarum captivae libertatis, &c. & damnum in suis negotiationibus, & bonis, ob absentiam à patria; verum etiam jure belli, & ex praesentia Principum voluntate. Turcae namque sunt publici hostes, & Christianorum dominia, ac bona tyrannice usurpaverunt, & possident. Unde Principes Christiani habent contra eos jus perpetuum bellum gerendi, bonis spoliandi, & compensandi: at quia non valent ex se ipsis id immediate ad quietudinem praestare, rationabiliter praesumunt illud privatis fidelibus concedere, maxime ad hostium vires debilitandas. Unde in *part. 7. r. 7. ref. 11. concludit: Sed me consulto, servi Christiani à Turcis fugientes, bona ab ipsis sublata secure sibi retineant, & expendant, etiam in quacunque maxima quantitate.*

2654 Imo eadem ratione in *part. 5. cit.* cum Molina idem extendit ad Christianos liberos in terris Turcarum manentes, cum haec tamen limitatione, ut non adit scandalum, damnum aliorum Christianorum, mendacium, perjurium, aut fractio fidelitatis, ad quam tenentur, qui sub fide Regii ibi morantur, aut negotiantur. Et aliqui putant (sequitur Diana) etiam in his casibus peccare quidem Christianos bona Turcarum surripiendo, non teneri tamen ad restitutionem. 1. Quia contra Charitatem, Religionem, & fidelitatem peccant, non contra justitiam commutativam. 2. Quia restituendo augerent vires hostibus Ecclesiae, 3. Quia licet non quoad modum, quoad substantiam praesumitur consensus Principum Christianorum. Addit tamen,

2655 (Sed ego hanc sententiam non approbarem, in casu quo inter Christianos, & Turcas adesset tempus treguae, vel alius casibus salvoconductus; in his enim casibus non potest praesumi consensus Principum neque quoad substantiam, neque quoad modum.) Ita Diana.

2656 Quantum autem ad Turcas existentes in locis Christianorum (quidam alii tenent) omnino dico non posse Christianos bona surripere sine peccato. &

onere restitutionis, si pacifice in nostris locis degant: Nam (seclusis scandalis, & malis, quae quidem vitari non possent) vel morantur ratione treguae, salvoconductus, aut ut publici negotiatores sub fide Regia: & tunc recurrit doctrina P. Dianae de n. 2655. Tum quia negotiatores solvunt super mercibus debita vestigalia Principibus Christianis. Item promissio & pactum est contractus, qui inducit obligationem justitiae. Vel morantur ut personae privatae, sive liberi, sive servi, & tunc sunt subditi Principibus Christianis, adeoque quoad hoc sunt uti alii subditi tractandi.

2657 Ex dictis sequitur, non peccare Christianos in terris Turcarum exsistentes, fraudantes gabellas à Turcis impositas, nec in terris alterius Principis infidelis, qui iniusto titulo possidet terras iniuste Principi fideli ablatas, Diana *part. 7. r. 7. ref. 65. n. 2707.*

#### QUERES III.

2658 An vxor possit licite vivere ex bonis mariti furto, vel per usuram acquisitis?

R. Resolutionem dat Vericelli r. 3. q. 32. n. 4. occasione alterius casus: An scilicet vxor pauperum possit licite vivere ex cibis à vxore adultera emptis ex pecunia adultero furata, dum modo ipsa vxorem adultero, aut furto non cooperetur? Et est ut sequitur.

1. Possit excusari haec mulier ex altero capite, & suppono probabilem esse opinionem licite posse uxorem vivere ex bonis mariti per usuram acquisitis. Ita Navarr. *cap. 17. n. 268. Viquez de restitut. cap. 11. dub. 2. Molina tom. 2. disp. 330. §. de vxore, Layman. lib. 3. r. 3. cap. 11. in fine, contra Sylv. vide Usura 8. q. 2.* Quam tamen opinionem ego cum aliqua restrictione admitte- rem, nempe si pecuniae vitiarum essent confusae cum aliis mariti, vel ab isto ex- pensa in emptionem ciborum, quia pecuniae post confusionem, & cibi empti, sunt in dominio mariti; serus esset de ipsis pecuniae usurariis in individuo extantibus, has enim pecunias, utpote alienas, mulier con- sumeret, & expendere nequit. Ratio huius opinionis est, quia cum pecunia confusa, & cibi empti, sint in dominio mariti, qui ex iustitia tenetur non solum restituere usurae, sed etiam ex iustitia praestare alimentum uxori; ipsa non tenetur praestare, quod est sibi ex iustitia debitum, etiam cum praedictio creditorum, seu sol- ventium ulius.

2. Eodem modo dici posset in casu nostro:

3. soror adultera, cum sit minus pauper, tene- tur ex iustitia alere sororem pauperem, & Gloff. & DD. in *l. qui filium, ff. ubi populi. e. duc. debeat.* Surtus de *alim. tit. 1. q. 25. et go* illa soror pauperem innocens non peccat, si accipiat cibos emptos ab adultera ex pecunia furata, modo ipsa individuo furatum pecuniam non accipiat.

De furto, agunt Scotus in 3. dist. 38. q. un. *lit. A. in 4. dist. 15. q. 2. lit. KK. Matt. in Theol. mor. disp. 9. q. 1. Joana. la Cruz, pag. 140. Bonac. tom. 2. pag. 535. Dian. p. 5. r. 13. ref. 98. r. 5. ref. 34. p. 1. r. 6. ref. 34. & alibi, Tamb. tom. 1. pag. 216. Bufemb. lib. 3. r. 5. Cardenas disp. 13. Mendo, de furto sacilego: v. num. 500. & 254. non. 1511.*

#### CAPUT IV.

##### De restitutione.

2659 **R**estitutio, secundum nomen, ex D. Thoma, est alienatio in sua possessione, aut domino iterata statuto. Secundum rem, per Iuristas: Est actus iustitiae, quo reparatur ad aequalitatem damnum proximo illatum per injuriam. Per Scotum in 4. dist. 15. q. un. *lit. AA.* est reductio iustitiae commutativae ad aequalitatem. Injuria, alia est materialis, quando damnum est illatum inadvertenter, aut bona fide; alia formalis, quando est illatum scienter, ut cum clienter quis rem alterius surripuit, aut si bona fide accepit, accedente mala fide, retinet, & non vult restituere.

2660 Obligatio restitutionis solus oritur ex iustitia commutativa laesa; unde si laeso sit contra charitatem, aut aliam virtutem, non obligat ad restitutionem. Imo neque ad restitu- tionem obligat iustitia distributiva laesa, nisi sit ei annexa iustitia commutativa: *v. n. 2355.*

Hinc Praelatus confersens Beneficium non curatum digno, omisso digniori, peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem: quia solam justitiam distributivam laedit. Si vero relicto digniori conferat digno Beneficium curatum, & peccat, & tenetur ad restitu- tionem, quia laedit justitiam commutativam: nam eo ipso, quod Praelatus indicit consecrum, fit contractus quidam innominatus: *Do, ut des, ac proinde Clericus ad examen accedens, si suo competitori praevalcat, acquirit jus strictum ad pretendum, ut illi detur 20. n. 1281.* quod est obiectum iustitiae commutativae.

2661 Ad beneficia autem, ex Trid. *sess. 24. de refer. cap. 1.* promovendi sunt digniores. Nec dicas, Concil. per ly, digniores, sumere com-

comparativum pro positivo, aut id dicere solum ad excludendos indignos, quia est extorta. expositio, dum Conc. clare utitur comparativo, illudque replicat: *Digniores*, & *Electio magis utilis*: v. in pag. 5. *prop. 47. ab Innoc. XI. damn. v. n. 1282. & seg.*

2662. Quod si in concursu duo reperiantur equalis meriti, non potest Prælatum aliquid ab uno recipere, ut illi præ alio conferat; & si accipiat, tenetur restituere, quia ex jure Civ. beneficia sunt conferenda gratis: v. in pag. 2. *prop. 22. ab Alex. VII. damn.*

## RADICES RESTITUTIONIS.

2663. **S**unt quatuor. 1. Ex injusta acceptance, aut retentione. 2. Ex re accepta. 3. Ex damno illato. 4. Ex contractu. *Injusta acceptio* habetur, cum quis rem alterius scienter invito rationabiliter domino surripit, & dicitur possessor male fidei: *Res accepta*, cum quis rem alterius bona fide accepit, seu possedit; & dicitur possessor bone fidei, qui scilicet ac advertit, & venit in cognitionem rem esse alterius, tenetur restituere, ut infra; alias incipit esse injustus detentor: *Dammum illatum*: ut cum quis per actionem injuriam damnum alteri intet, v. g. occidendo, segetes comburendo, &c. *Ex contractu*, & hoc dupliciter. 1. Ex contractu injulio, qui si fuit advertenter injulio celebratus, æquivalat injulio acceptationi; si bona fide, rei acceptæ. 2. Ex contractu iusto, sed postea lesus, vel obpacta, & conditiones non observatas, vel obvi moram culpabilem in solvendo, elapso termino.

2664. Obligatio restitutionis ex delicto nempe ex injusta acceptance, seu retentione ex re accepta, superveniente mala fide, ex damno illato, & ex injulio contractu non oritur in foro conscientie, nisi adit actio injulsa externa, que sit peccatum mortale: quia peena debet esse proportionata culpæ; unde peena gravis, qualis est de restituenda re gravi sub onere peccati mortalis, præsupponere debet culpam mortalem. Immo esse debet culpa efficaciter, & effective lædens justitiam commutativam, qualis est sola actio injulsa externa. Unde qui damnum est passus in suis bonis sine culpa mortali lædendis, putare debet vulmen de celo cecidisse, & rem suam consumpsisse, reputatur, inquam, casus fortuitus. In foro externo sufficit culpa legalis. *Tamb. rom. 1. lib. 4. r. 3. cap. 2. §. 1. ex Com.*

2665. Hinc 1. qui habuit voluntatem efficacem rapiendi, aut retinendi rem alterius,

sed retractata voluntate non fecit, non tenetur ad restitutionem, quia peccavit mortaliter, sed peccato interno: per actionem injulsam, non externam, sed internam, contra nonum præceptum.

2666. 2. Qui furatus est quid modicum, cum intentione continuandi usque ad quantitatem notabilem, sed ad eam non pervenit, non tenetur sub mortali, sed solum sub veniali; ad restituendum illud modicum ablatum: quia licet peccavit peccato mortali interno; culpa externa non fuit gravis. Similiter non tenetur ad restituendum, si damnum grave intulit, v. g. incendit segetem, venenum dedit, sed sine culpa, aut cum sola culpa veniali, ratione inadvertentiae, vel indeliberationis actus. *Omnino, vide, tom. 2. c. n. 116.*

2667. Obligatio vero restitutionis ex contractu iusto, oritur etiam sub mortali ex sola culpa juridica, sine culpa theologica, seu mortali, quia non oritur ex delicto, sed ex conventionem, & pacto in ipsa natura contractus ambigunt. *Mātrius dist. 7. q. 2. n. 18.*

2668. Culpa juridica (ait Fenech) est omnis diligentia, quam quis adhibere tenetur. Est simplex, lata, levis, & levissima. Lata est remissio illius diligentie, quam communiter adhibere solent homines ejusdem conditionis, vel major pars eorum, ut si quis librum commodatum relinquat in loco publico, unde furvapiatur; tunc dicitur perisse culpam lata commodatarii. Levis est omisso illius diligentie, quam homines diligentes sue conditionis adhibere solent, ut si quis rem commodatam v. liquit in cubiculo, vel arca non observata; tunc dicitur perisse culpam levi illius. Levissima est omisso illius diligentie, quam homines diligentissimi sue conditionis adhibere solent, ut si rem commodatam seliquit in cubiculo, quod putavit observationem, sed non tervavit, & esset bene clausum, & reversa non erat clausum; tunc dicitur perisse culpam levissimam.

In contractibus factis in favorem solius dantis, ut est depositum, non venit, nisi dolus & culpa lata. In contractibus factis in favorem solius recipientis, ut est commodatum, venit etiam culpa levissima.

2669. In contractibus factis in favorem utriusque, tum dantis, tum recipientis, ut sunt pignus, venditio, locatio, &c. venit culpa lata, aut levis, sed non levissima; unde si commodas Petro equum ad invicendum communem amicum, tenetur Petrus ad restitutionem, si equus pereat ex culpa lata, aut levi; minime si ex levissima. *Tamb. v. n. 649.*

2670. Depositarius, si salarium accipiat, tenetur etiam ex culpa levi, quia tunc depositum

tum evadit factum in gratiam utriusque; tunc namque cum depositarius accipiat pretium, tenetur ex iustitia rem depositam majore diligentia custodire.

2671. Eos, qui ex officio ad impediendum damnum tenentur, & non impediunt, non tenentur ad restituendum, nisi ex culpa lata, ait Bentaleus; quia non tenentur quis in suo officio ad diligentiam majorem ea, quam homines talis professionis solent ordinare adhibere.

2672. Casus fortuitus, est inopinatus eventus rei, quem humana providentia prævidere non potest, neque impedire; ut mors equi absque ulla culpa, tempestas maris, ruina domus, naufragium, vis fluminis, & similia.

2673. Nullus tenetur regulariter ad damnum, quod intervenit casu fortuito, nisi in tribus casibus. 1. Quando culpa præcessit casum, ut qui equum commodatum usque Florentiam duxit Bononiam, & in itinere Bononiam versus raptus est à latronibus; tunc enim culpa præcessit. 2. Quando præcessit mora culpabilis, & per hanc perit apud commodatarium; dummodo tamen non esset etiam res peritura apud dominum, licet in foro externo etiam tenetur, si esset peritura apud dominum casu fortuito. 3. Quando intervenit pactum, quo quis se obligavit ad casum fortuitum. Ita Fenech.

2674. Obligatio restitutionis ex contractu injulio, nedum oritur ex culpa mortali commissa in celebratione contractus, sed etiam ex culpa juridica contra innocentem, etiam si hæc contingat postea sine peccato, puta, quia ad malitiam gravem non advertit; alioquin peioris conditionis esset, qui iuste contraxit, eo qui injulsa, si sola culpa juridica illum obligaret, non istum. Unde si Petrus minis coegit Paulum ad locandum ei vili pretio equum; tunc si equus conductus moderetur ex sola culpa juridica conductoris, tenetur conductor, nedum ad restituendum pretium iustum conductionis ex injulsa contractus, sed etiam pretium equi ex culpa juridica, in casu, non solum lata, aut levi, sed etiam levissima; quia hic contractus locationis, qui alias fit in gratiam utriusque, in presenti est factus in gratiam solius recipientis.

2675. Qui utitur deposito, aut locato, v. g. pecunia, equo, &c. & hæc causa perat, aut fiat deterior, tenetur restituere, quia excessit modum depositi, & locati.

2676. Commodatarius non tenetur restituere lucrum perceptum ex negotiatione pecunie in commodatum ad pompam acceptæ, Clericatus c. 82. num. 18. quia ex sua indultitia provenit: v. n. 2376.

Quod procedit à fortiori, quia nec fur tenetur restituere lucrum perceptum ex negotiatione pecunie furtiva; nisi dominus esset pariter ex ea lucraturus; quia tale lucrum ex sua industria procedit.

Tenetur tamen restituere lucrum, quod ex re ipsa fructifera commodata percepit, puta partus ex illa natus; aut lucrum, si eam locavit, Mercator cit. Quia hi fructus domus secidunt: v. n. 2694.

## QUI RESTITUERE TENEANTUR.

2677. **A**d restitutionem tenentur non solum qui proprio facto injulsa damnum intulerunt tertio, accipiendo, retinendo, damnificando; sed etiam qui efficaciter & cum effectu ad damnum alterius injulsa cooperantur, qui continentur hoc verbum:

*Justo, consilium, consensus, palpo, recusant, mutus, non obstant, non manifestant.*

Illi restituere tenentur in solidum, seu totum in defectum exequentis, si sint causa efficiens, ut damnum fiat; & id non sub dubio, sed certo sciunt.

Priores fere cooperantur positive, posteriores tres privative, quantum tenentur ex iustitia, seu officio, damnum impedire, & non impediant.

*Justo*, significat eum, qui jubet, & mandat, sive expresse, sive tacite, & signis, damnum fieri. Qui ratum habet damnum suo nomine factum, ad restitutionem non tenetur, si nullum fuit præstitit mandatum, aut consilium; quia rati habitio præsens, non est causa damni præteriti.

*Consilium*, significat consulentem, qui ad restitutionem tenetur in defectum exequentis: v. n. 2100.

*Consensus*, significat eum, cui consensum dat, ut furum fiat; qui est fautor.

*Palpo*, qui approbat, & laudat.

*Recusant*, qui dat refugium, & securitatem.

*Participans*, qui est socius, adiutor criminis, jurtim prædæ recipit, facit pro fure excubias, instrumenta ad furandum desert, aut alio modo cooperatur.

Buscemb. ait, præfatos non teneri ad restitutionem, si efficaciter tantum consurrant, non ad substantiam, sed ad circumstantias, & modum actus damnosus, v. g. si quis tantum impellat alium, ut citius, vel animosius, hoc, vel illo loco, vel modo noccat.

2678 Mutus, qui silet, non obstat, non manifestans, non tenetur restituere, sed solum peccat contra charitatem, si non teneatur impedire ex iustitia, & commode possint; tenetur autem ad restitutionem, si impeditur teneatur ex iustitia, nempe ex contractu, seu officio. Tales sunt Principes, & Magistratus, qui possunt, & negligunt impedire latrones.

2679 Tutores non impediunt damna pupillorum, aut aliorum, quorum curam suscipiunt. Famili, qui negligunt impedire litrem, & custodes gabelarum, si permittunt alios fraudare gabellas, imo si non manifestent. Nam qui causam damni dat, *damnum ipsum deesse videtur*: v. in pag. 5. *prop. sit. 39. ab Innoc. XI. damn.* Dicti custodes tenentur restituere damnum, quod domini patiuntur ex denegata solutione gabellarum, minime ex denegata solutione cenae, Bonac. tom. 2. de *restit. disp. 1. qu. 2. p. 104. c. 11. n. 11.* Quia mercatores ad poenam non tenentur, nisi deprehensi.

2680 Praefati non impediunt vero metu gravioris mali proprii, aut suorum, puta mortis, &c. nec peccant, nec ad restitutionem tenentur, quia licet per cooperationem sint causa physica, non sunt causa moralis damni, seu furri, quatenus hoc non imputatur tunc illis mortaliter, quia iustitia eos non obligat ad conservanda, & custodienda bona alterius, cum prudenti periculo iacturae boni proprii altioris ordinis; valida est ratio: *de non. 2681. Imo Ardekin in num. 2. pag. 331. num. 7.* idem tenet de positivo cooperatore ad furtum per actionem ex re indifferente, puta tenendo sealam, &c. in casu metus gravioris mali proprii.

2681. Casus: *Plures officiales, quibus ex officio, & iustitia incumbit cura exigendi annuus redditus cuiusdam domini, iurim fraudant; & suam fraudis pro singulis dividunt, eamque dant etiam uni, cui fraus displicet, adeoque ipse non fraudat, sed portionem ab eis accipit, quia rationabiliter timet mortem, si se manifestet nolentem, praudenter discernens, eos partem sibi dare, ut sint tutiores, ne manifestentur: ipse autem suam portionem fraudis, quam recipit occulte, restituit domino: quaeritur an peccet, & teneatur ad restitutionem insolvidum?*

Respondet: non peccare, nec teneri ad restitutionem insolvidum, quia ipse utiliter gerit rem domini; nam alii supponunt determinati ad furandum; unde si hic non adesset, & portionem non reciperet, eam pro se furarent illi, & propterea etiam se privaretur dominus, cui ipse restituit. Tum quia ipse non dicitur fur, nec cooperare ad furtum; non

quidem per portionem, quam recipit, quia eam non recipit ad retinendum, sed ad reddendum domino, ac ad mortem vitandam; nec per portionem aliorum, ad quam cooperatur, quia illa respectu aliorum, non respectu huius est furtum; nam respectu huius dominus non est invitus, & si invitus, non rationabiliter invitus, quia non potest dominus rationabiliter, & iuste pretendere, ut suos officiales rem suam custodiat cum iactura boni superioris ordinis: v. n. 229. & 231.

2682 Si determinato ad majus malum inferendum eidem: v. g. determinato ad occidendum Petrum, consulat, ut furetur, aut eum verberet; & determinato ad furandum centum à Petro, consulat, ut furetur quinquaginta ab eodem; nec peccas, nec ad restitutionem teneris, quia geris utiliter rem dominii, qui non est rationabiliter invitus. Peccas autem, & ad restitutionem teneris in defectum furis, si consulat minus malum inferendum alteri, de quo ille non cogitaverat, quia tale consilium est in prajudicium; & damnum tertii, quod illud pallurus non erat. Si vero fur est determinatus ad furtum, sed anceps manet, an debeat furari à Petro paupere, vel à Paulo divite; si non potest averti, licitum est consulere, & monere in genere: *Majus malum assensum à paupere, quam à divite*; quamvis enim illicitum sit facere malum ut veniat bonum, v. gr. committere usuram, ut inde redimatur vita captivi; non est illicitum, determinato ad majus malum consulere minus: v. n. 376.

2683 Confessarius, si culpabiliter omisit monere penitentem de restitutione, peccat mortaliter, & tenetur monere penitentem, si ex eius taciturnitate motus fuit ad credendum, se non teneri; non tenetur autem, si non monet, ipse in defectum penitentis restituere; quia non tenetur ex officio, & iustitia prospicere bonis temporalibus aliorum, sed bonis spiritualibus penitentis. Fenech. Si vero positive dissuulat restitutionem debitam, vel fuisset solutionem indebitam culpabiliter, tenetur monere de errore, alias tenebitur ipse restituere in penitentis defectum: si inculpabiliter, tenetur monere, si commode potest; alias tenetur ipse, ut ex re accepta; si vero non potest commode, non tenebitur ad restitutionem. Leander.

2684 Qui sine vi, fraude, ut mendacium impedivit alium ab obtinenda re ei ex iustitia non debita, v. g. ab officio, beneficio, &c. peccavit mortaliter; si id fecerit ex odio, & non

non ex iusta causa: at non tenetur ad restitutionem, quia non peccavit contra iustitiam: ad eam autem tenetur, si impeditur per vim, fraudem, aut mendacium, & ille erat dignus, & habebat spem: minime, si erat indignus, aut si dignus, spem, non habebat; quia si ille erat dignus, & habens spem, qui eum fraude impeditur, fuit causa efficax domini, & quilibet habet vim strictum, ut non impediatur inique ab officio, quo est dignus, & ad quod obtinendum habet spem: hinc ille restituatur tenetur prudentis viri iudicio juxta probabilitatem spei.

2685 Quando patiens damnum condonavit causae principali, liberatur minus principales, non è converso.

2686 Debitor, qui se composuit cum creditoribus minori summa contentis, si illi sint libere, & revera contenti, liberatur ab onere solvendi excessum, etiam si postea deveniat in pinguius fortunam; quia talis compositio est quaedam remissio, & species donationis: vendendum esse, ne sit fraus, aut metus; saepe enim creditor est contentus non libere, sed coacte, quatenus agnoscit, quod attempta debitoris potentia, & conditione, si non acceptet minorem summam, se ponit in periculo amittendi totam; & tunc non liberatur ab onere restitutionis debitor: bene vero, si cognita paupertate debitoris, creditor vere misericordia motus partem remittat.

2687 Qui occidit alterius animal suam possessionem damnificans, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur; quia non habet jus occidendi, sed tantum expellendi, & satisfactionem exigendi; nisi aliter propriam damnum impedire non possit. *Christiani paritatem afferit de eo, qui alienum domum vicinam diruit: per quam ad suam invidiam erat pervertendum, Fenech.*

Ex damno illato à proprio servo, aut animali, non tenetur dominus in foro conscientiae restituere, si ipse in culpa non fuit: tenetur in foro externo.

2688 Quando plures damnum intulerunt, ita ut teneantur singuli insolvidum, ut in n. 820. si actio fuit lucrativa, primo loco rem ablatam restituere tenetur ille, apud quem extraxit, aut qui mala fide consumpsit, & in eius defectum cooperatores. Si actio lucrativa non fuit ut in occasione, incendio, detractione, &c. tunc primo loco tenetur, qui fuit causa primaria damni, nempe mandans, vel executor, & in eius defectum, vel quia non vult, vel quia non possit, ad restitutionem tenentur cooperatores: v. n. 2100.

## QUID RESTITUENDUM.

2689 **R**estituenda est eadem res in individuo, si extit.

2690 Fructus rei sunt triplicis generis: *Mere naturales*, qui absque labore, aut industria, vel saltem cum modica, ex re naturali proveniunt, ut fructus arborum, factus animalium: *Mere industriales*, qui non procedunt ex natura rei, cum sit ea se infructifera, sed ex industria hominis, ut lucrum ex pecunia negotiationi expolita; & *Mixti*, qui procedunt ex re fructifera, sed cum multa industria hominis, ut frumentum ex segete, vinum ex vinea, lana, lac, &c. Hoc praemissio.

2691 Magna est differentia inter possessorem bonae fidei, seu qui tenetur ex re accepta, inter possessorem male fidei, seu qui tenetur ex injusta acceptance, aut damnificatione.

## POSSESSOR BONAE FIDEI.

**Q**uando venit in cognitionem, quod res non sit sua, tenetur eam restituere, una cum fructibus, si extant, & si non extant, tenetur restituere id, in quo factus est ditor. Sit exemplum ex Ardekin: Vestem à fure donatam bona fide accepisti, & attrivisti; comparet postea dominus, tunc solum tenentur restituere vestem attritam, & insuper quantum tuo vestimento pepercisti: quia solum in eo factus es ditor. Quod si vestem attritam restituere teneris, nihil fructus sit consumpta, imo si eam perdidisti, aut tua culpa defrausasti, ad nihil teneris, si in nihil factus sis ditor, quia stante bona fide, non peccasti contra iustitiam.

2692 Si bona fide rem alienam tibi donatam, v. g. vestem, vendidisti, teneris restituere pretium, si pretium extet, & non vestem; si vero vestis extat apud emptorem, curare debes, ut recindatur venditio, & restituaris vestis, reddito pretio emptori, quia factus es ditor: v. n. 822. Si vero eam alteri gratis donasti, alias non donaturus, si tibi non fuisset bona fide donata, ad nihil teneris, sed solum debes ex charitate indicare domino, ubi res extet; quia nihil habes, quod alias non haberes.

2693 Quantum ad fructus, restituere tenetur fructus naturales, & mixtos, minime industriales, quia sunt pars rei, debentis tamen expensis, & laboribus; imo solum tenetur restituere fructus, quos habet à tribus annis infra, minime quos habet à tribus annis supra; quia horum, utpote mobilium, acquisitio dominium per prescriptionem, quinimo etiam ipsam rem praescribere potest, si habeantur conditiones prescriptionis: *de num. 2235.* Ex iure sufficit, quod ultima dies triennii sit inchoata: v. n. 2338.

## POSSESSOR MALÆ FIDEI

2694 **R**estituere tenetur omnimodam æqualitatem servando; adeoque restituere tenetur rem eandem in individuo, & bonitate, si extat, vel tantundem in specie, aut genere, si non extat, si non extat, etiam si sine sua culpa perierit. Item tenetur restituere omnem damnum, & interesse, five damni emergentis, five lucris cessantis, &c. quia fuit iniusta causa domini; qua in re fieri potest compositio cum dominis, qui solent multum remittere. Insuper omnes fructus tam naturales, quam mixtos, deductis suis expensis, & laboribus, five hi fructus extant, five non; quorum nihil præscribere potest, quia non debet lucrum ex iniustitia reportare.

Non tenetur autem restituere fructus industriali; quia hi non correspondent rei alienæ, sed proprie industriæ. Unde si usurarius centum aureos, quos lucratus est ex usuris, exponat licitæ negotiationi, & inde lucratur viginti, tenetur restituere priores centum aureos, viginti vero potest licite pro se retinere. Similiter si fur pecunia ablata lucrum, & lucratur, non tenetur restituere lucrum, quia est fructus industrialis, nisi dominus fuisset pariter lucraturus. 2695. Si dum res aliena mala fide detinetur, crescat, seu eius pretium augetur, domino crescit, adeoque illi debetur. Unde si frumentum ablatum mense Augusti retinet mense Maii, non satisficit, si solvas pretium, quod valebat mense Augusti, sed frume tantum restituere debet mense Maii cum suo incrementum.

Si vero perierit, aut deterior fiat naturaliter casu fortuito, hostium incursione, &c. ita tamen, ut prudenter existimetur, aque peritiam fuisse apud dominum, non tenetur ille ad restitutionem; quia per hoc, quod res erit apud eum, nullum novum damnum incurritur, quod non apud dominum.

Si vero apud dominum peritura non fuisset, aut damnum passura, tenetur iniustus detentor restituere pretium, etiam si sine sua culpa perierit, quia per suam iniustam acceptionem, seu detentionem, fuit causa efficiens damni.

Denique si res apud dominum erat peritura, & apud eum extat incolumis, domino extat, quia licet quando crescit, domino crescit; ita quando extat, domino extat.

2696 *Exemplum.* Fur sorripit de navi Petri quosdam merces, quas transportat in propriam navim: accidit die sequenti, quod tempestate percat omnia naves, una cum mercibus, salvis hominibus; ad nil tenetur fur. Si vero sola navis Petri percat, & navis furis salvetur,

tenetur fur restituere merces ablatas Petro. 2697 Quando plures concurrunt ad damnum, seu furtum; si id faciant scelerim, non tenentur singuli plus restituere, quam per se acceperunt; quia sunt causæ paritatis partialitate effectus. Si autem id fecerint mutuo consensu, & auxilio, tenentur singuli in solidum, nempe restituere totum in defectu alterius, cum iure postea repetendi ab eo; quia mutuo illo consensu, comitatu, & auxilio, singuli habuerunt influxum efficacem in totum furtum, & damnum, quod ex confidentia in mutuo comitatu, & auxilio, fuit illatum; unde singuli dicuntur causæ totalitate effectus.

Quod si duobus furibus per se determinatis ad aliquod certum furtum, superveniat tertius, & simul cum eis furetur, tenetur solum ad suam partem. Si vero in effectu duo illi non erant sufficientes ad furtum, v. gr. ad frangendam januam domus, ad excubias faciendas, &c. & auxilio tertii satisfecerunt, tenetur tertius in solidum; quia in re fuit causa efficiens totius furti, & causa totalis totalitate effectus. v. in tom. 2. n. 15. pag. 505.

2698 Quando damnum est incertum, restitutio est facienda secundum estimationem experti; v. g. si animal tenetur aratis occidisti, si recentes arbores aut immaturas segetes incidisti, restitui debet tantum, quanti tempore messis valuisent, non omnino adæquate, sed deductis laboribus, & expensis, ac habita ratione periculi.

2599 Qui est certus, quod res sit Petri, vel Pauli, dubitat vero, an determinate sit Petri vel Pauli, tenetur utrique dividere pro rata dubii: v. n. 40. & n. 111.

2700 Possessor malæ fidei in foro externo, tantum detrahere potest expensas necessarias factas pro re domini, v. g. pro viridario, &c. minime voluntarias, & utiles: idque in pecunia delicti; at in foro conscientie potest etiam istas detrahere, quia licet melioramento, quibus res est a fure facta melior, & fructuosior, cedunt domino, eique utilitatem afferunt; ita iustum est, ut ille expensas pro eis factas sibi detrahat.

## ACQUISITA OB TURPEM CAUSAM

2701 **N**on sunt restituenda, nisi in casibus, in quibus lex humana facit inhærentem acquirentem. Talia sunt acquirentia per simoniam realem, de quibus num. 1267. & 1264. pro sponsonibus super vita, & morte, & futura electione Summi Pontificis, & Cardinalium; quæ sunt restituenda, non ipis dantibus, sed pauperibus in penam, ex Bullis Greg. XIII. & Clem. VIII.

Mi-

Minime in casibus, in quibus non adest præfata lex; quia licet conventio, & pactio pro opere illicito parando sit illicita, & non adimplenda; semel autem patrato opere illicito, v. gr. homicidio, fornicatione, &c. non est illicitum petere, & dare pretium promissum; quia actio illa que venditur, est in se pretio estimabilis. Immo meretricis possunt pretium petere in iudicio, quia meretricium in foro externo toleratur; non sic alia mulieres.

2702 In foro externo non oritur obligatio solvendi promissum ob opus turpe factum, excepto meretricio, ex l. *eleganter*, ff. de verb. obligat.

2703 Iudex, qui dedit sententiam ob pretium, si sententia est iusta, non potest recipere pretium, & si recipit, tenetur restituere; quia sententia iusta est debita, adeoque non potest iuste vendi. Si sententia est iniusta, ante sententiam tenetur rescindere contractum, restituito pretio; sed ea data, potest licite petere, & accipere pretium, quia vendidit operam suam uni parti non debitam; at tenetur restituere damna illata alteri parti, Tamb. tom. 1. l. 7. c. 5. §. 3. n. 13.

2704 Acceptata per simulationem paupertatis sunt restituenda, Scotus in 4. disp. 15. q. 2. lit. X. quia deceptus in conditione, ob quam donat, non liberaliter donat: ex qua ratione, sicut quando donas alicui, quem putas propinquum, si talis non est, donatio est nulla: ita quando donas elemosinam alicui, quem putas egenum, si talis non est. Soto, & Bufemb. id concedunt de elemosyna magna, negant de parva, quia magna datur sub conditione puræ paupertatis, non sic parva. Sed ratio Scoti est universalis; unde eius sententiam sequitur Navar. & vocat communem.

2705 Accepta per hypocritismum, v. gr. Beneficium, officium Ecclesiasticum, ut Provincialium, &c. esse restituenda, seu relinquenda, reus ex nostris Faber, & Aretinus, si hypocritis fuit causa finalis, & motiva apud electores; quia deceptio causat involuntarium, adeoque reddit contractum nullum. Negant Soto, & Azorius; item Navar. præsertim quoad Beneficia Ecclesiastica, quia Prælati, licet bonitatem concurrentium diligenter perscrutentur; postea tamen, quando conferunt, absolute, & non conditionaliter conferunt.

2706 *Hypocritæ* est, qui talem sanctitatem fingit, quia præstendit apud homines aliquid bonitatis, quam non habet. Unde hypocritæ non est, qui suum peccatum occultat in bonitatis ultra statum communem suæ Religionis & conditionis prætextens. Hypocritis

est de se venialis; est autem mortalis, si fiat cum injuria, aut damno gravi proximi, ut cum quis fingit sanctitatem ad obtinendum officium, & dignitatem, &c.

2707 *Fraudantes gabellas iustas*, non peccare, nec ad restitutionem teneri, nisi sint custodes, seu obligati ex officio, tenent Duarodius, Henricus, & Angelus, Navar. Castrius, S3, Pontius, & alii; quia lex de gabellis non imponitur per verba præceptiva, sed ordinativa. Tunc quia est lex civilis, pura pœnalis; adeoque solum obligat in foro externo, & ad penam; non in foro conscientie, & ad culpam. Nec officii, si fraudes cedant ad damnum eminentium gabellas; quia illi scilicet fraudes contingere, & tamen emunt, & conducunt illas; imo cum hoc periculo emunt, & ob illud solent vilius emere, aut conducere. Denique id, quod amittunt cum multis, compensant cum aliis, quos in fragranti inveniunt. Ita illi: v. n. 2677.

2708 Dico tamen, nedum custodes, sed etiam alios peccare, & ad restitutionem teneri, nisi iustus titulus compensationis addit, Mastrius in 7. disp. mor. disp. 6. n. 19. Faber, Lugo, Jo. la Cruz; quia gabellæ iustæ non debentur Principi in penam, sed in tributum, & ut stipendium iure naturæ debitum Principi. Et sicut Princeps tenetur iure naturæ custodire subditos, eorum mœnia, & turres, coque defendere ab hostibus; ita vicissim, iure naturæ, tenetur subditi dare Principi subsidium congruum ejus sustentationi, & ad bonum publicum subministrandum: hinc ait Christus, Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsari, Cæsari; & quæ sunt Deo, Deo: v. an. 173.*

2709 Illud certum est, posse deputatos ad exigendum dissimulare cum pauperibus, qui vix solvere valent, ut advertit Mendo in epist. per Gabellæ, n. 12.

2710 Insuper addit Mendo tit. n. 6. cum Silvestro, & aliis, quod laicus Reges, si concurrant conditiones ad compensationem requisitæ: de num. 2641. possit compensare non solvendo gabellas, etiam si sitæ sint alicui privato locatæ, aut venditæ; quia semper minori pretio locantur, aut venduntur, ob respectum ad fraudes. Cæterum hæc sententia non est prædicanda in casu, quo gabellæ sunt alicui privato venditæ; quia tunc est casum translationem dominium à Rege in privatum. Et tanta libertas potest esse causa emptorem depraudandi.

2711 Item etiam in sententia opposita, quod non sit peccatum fraudare gabellas, Mercator aut alius, qui occulte merces introduceret non solvendo gabellas, non potest sine

pec-

peccato, ex onere restitutionis illas ab emptoribus exigere, sed debet minori pretio vendere; aperta namque iniustitia est, velle ab emptoribus recuperare pretium gabellæ, quod in fraude non solvit.

2712 Dixi, *fraude non solvit*; quia si Gabellotus fuisse mercatori pars aliqua gabellæ remissa, ex fine cum magis confirmandi ad mercedem defendenda, tunc potest partem exigere; quia ipsi credit, cum fuerit eadem in sua persona gratiam Gabellotus remissa, juxta dicta emptoris, n. 2464.

### Q U E R E S,

2713 *An quis aliquid accipiens, non accuset, teneatur ad restitutionem?*

**D**ifficultas procedit post delictum, v. gr. furtum, homicidium, &c. commissum, quod non pendet in futurum, nec reparari potest, aut ad reparandum quis non tenetur: imminime autem; tunc certum est in casu delicti patrandi teneri ad rescindendum contractum, & restituendum pretium, ut in n. 2703. Hoc præmissis,

Relp. cum distinctione. Si hic habet jus ad accusandum, non tenetur ad restitutionem, quia tale jus est pretio æstimabile: Si tamen habet jus ad accusandum, & insuper ad id tenetur ex iustitia, quatenus tenetur ex officio, puta si est Officialis, si salarium accipit, &c. tenetur ad restituendum damnum domino, cuius est Officialis: minime pretium acceptum delinquenti, ne accuset, ne impediat, &c. ut in n. 2679. Quia licet deliquerit contra iustitiam erga dominum, cuius est Officialis, & proinde teneatur ad reparanda illi damna; non deliquit contra iustitiam erga delinquentem, accipiendo pretium, ne accuset; sed illi vendidit jus accusandi pretio æstimabile.

Hinc post furtum commissum, quod reparari non potest, aut ad quod reparandum ob aliquam circumstantiam, puta sui periculum, &c. quis non tenetur, non tenetur quis restituere pretium acceptum à fure, ut taceat, ne accuset, &c. dummodo pretium acceptum non sit pars furti.

Quod est verum, etiam si ille animum accusandi non habeat, Diana p. 4. r. 4. ref. 24. Quia in re jus habet, quod est pretio æstimabile.

2754 Denique si hic nullum habet jus ad accusandum, impediendum, &c. nil potest iuste recipere, ne accuset; & si recipiat, tenetur restituere. Quia ratione [sunt Tamb.] *Nequit axor accepto iusto à marito pretium, ne adulteret: quia ad non adulterandum tenetur axor ex iustitia ipsi marito; et ego venderet marito id, quod mariti est,*

Tamb. tom. 1. lib. 7. cap. 5. d. n. S. Bonac. tom. 2. de rest. disp. 1. q. 2. ponit. 11.

### CUI RESTITUENDUM.

2715 **R**estitutio regulariter est facienda domino. Nominè domini, venit tam qui habet dominum rei, quam omnis qui aliquo iusto titulo rem possidet; unde res, quam fur abstulit à depositario, non est restituenda domino, sed depositario, qui eam habebat de voluntate domini.

2716 Dixi, regulariter, quia sunt plures casus, in quibus non est facienda domino. Et quidem, si dominus est mortuus, facienda est hæredi. Si longe absens, ut fine magno dispendio fieri illi non possit, facienda est propinqui. Si dominus, & propinqui sunt ignoti, adhibenda est diligentia, ut dignoscatur.

2717 Si diligenter adhibita non possint cognosci, est facienda Christo, quem Deus constituit hæredem universorum, ex Apost. ad Hebr. 1. hoc est, pauperibus, Ecclesie, aut Hospitali: quod si ipse teneat est pauper, potest rem in parte, aut toto hinc applicare, quia non est peioris conditionis alius pauperibus; quia facta applicatione, si perveniat ad pinguem fortunam, non tenetur restituere pauperibus, sicut nec alii pauperes; quia per talem applicationem acquisivit dominium ut pauper in defectum domini, etiam si fuerit iniustus acceptus.

2718 Si vero compareat dominus, non tenetur restituere ille, qui applicavit pauperibus, si moralem diligentiam fecit, ut dignosceret dominum; tenetur vero ipse pauper, qui rem accepit, si res extet in individuo: si sit consumpta; tenetur restituere id, in quo factus est ditior: quia nemo debet ex re alterius ditescere.

2719 Bona inventa, que nullum habuerunt dominum, ut lapides pretiosi si in flumine, & venæ metallorum, vel si habuerunt, modo nullum dominum habeant, ut thesauri, non dicuntur bona incerta, & de his diximus in n. 2304. jure nature esse primo occupantis. Vide ibi.

2720 Bona igitur incerta sunt, que circumstantiis consideratis, cognoscitur, quod habeant dominum, sed ignoratur, quis sit: huiusmodi sunt res in via inventæ, ut si ulnam unam panni emere fecisti, sed modo invenias esse duas; & necias dominum, qui vendidit. De his loquendo, si facta morali diligentia dominum invenire seu dignoscere non valcas, potes licite ea pro te retinere, etiam si non sis pauper; quia solus iniustus acceptor tenetur res, quarum ignorat dominum, restituere pauperibus, ex Alex. III. c. *Quoniam tu, de usuris*: ne

fucrum reportet ex delicto. Quod si compareat dominus, tunc tenetur restituere rem si extat, vel id, in quo factus es ditior, ut dictum est de paupere, cui est applicata res alterius.

2721 Qui solvit creditoris sui creditoris inficio suo creditore, satisfaciit in foro conscientiarum, quia pont æqualitatem; debet tamen postea monere, ne solutio fiat bis.

### Q U E R E S,

2722 *An, qui rem emit à fure, teneatur eam reddere domino?*

**N**av. & Bonac. dicunt, eum, qui mala fide emit à fure, teneri reddere domino; qui vero bona fide emit, posse rem reddere furi, ut sic suum pretium recuperet. Absolutè docent, utrunque posse rem reddere furi, ut suum pretium recuperet, Toletus, & ex nobis Mastrius, Faber, & Aretinus, quia anasiquique tenetur magis sibi providere, quam alteri: quod si non restituit, est per accidens: unde non dicitur ille per se cooperari peccato illius.

2723 Qui bona fide rem emit à fure, & postea pariter bona fide eam vendidit tertio, equali, aut majori pretio, non tenetur rescindere contractum factum cum tertio, nec ei restituere pretium, quia charitas non obligat ipsum, ut in gratiam alterius patiarur damnum innocens. Tum quia contractus emptionis factus cum fure, licet revera non transferat dominium rei, que est alterius, est validus; quia per eum qui venditor obligatur emptori de evictione, & damnis inde secutis emptori; unde tenetur illi restituere pretium.

2724 Quod si fur restituit ipsi pretium, tunc tenetur ille rescindere contractum cum tertio ei restitute pretio, & re domino; quia tunc nullum damnum reportat, cum iam suum recuperaverit pretium. Si autem fur non restituit ipsi pretium, nec ille tenetur rescindere contractum cum tertio, nec illi restituere pretium, etiam si fuerit majus, quia excessus ille creditur in iustitiam; si vero excessus sit ob ipsam rem, que eadem manens crevit in pretio; tunc est restituendum domino excessus, quia est alterius; unde in illo factus est ditior ex re tractatus: v. n. 2740 & 2542.

### IN QUO LOCO, ET QUIBUS EXPENSIS.

2725 **P**ossessor bonæ fidei, seu obligatus ex re accepta, quando cognoscit rem esse alterius, tenetur rem restituere in loco ubi res extat, unde si dominus sit in alio loco non tenetur eam mittere expensis propriis, sed solum monere debet dominum, ut disponat; quia non tenetur quis cum proprio damno restituere in pristinum statum dominum, quem non læsit. Possessor vero malæ fidei, hoc est qui est obligatus ex iniusta acceptatione, tenetur mittere propriis expensis, quia dominus non debet reportare damnum ex delicto fariis.

2726 Exemplum. Petrus Mellanum se dicit eum equo Pauli Pasorum: Petrus iste, vel equum accepit bona fide; & tunc tenetur monere Paulum Mellanum, ut suis expensis mittat pro equo: vel accepti mala fide, seu rapuit; & tunc tenetur mittere equum Paulo Mellanum propriis expensis, in super solvendo damna, & interelle, detractis tamen expensis, quas fecit pro sustentatione equi, quas veteri ipse Paulus fecisset, nisi expensæ hæc compensandæ essent usu equi, quem tenuit Petrus.

2727 Si dominus sit ita absens, ut excessivæ expensæ essent faciendæ à fure pro re mittenda, tunc tenetur restituere, & mittere, si expensæ sint æquales cum valore rei: minime vero si sint notabiliter excedentes valorem rei, quia restitutio non fit, nisi ut servetur æqualitas; ideoque non obligat cum notabili inæqualitate creditoris, & debitoris; hac ratione universaliter restitutio non est facienda cum iactura boni altioris ordinis. Unde poterit iste restitutionem differre, si sit spes, quod approximet dominus; quod si non sit talis spes, potest restituere conlangueis; & in horum defectum pauperibus, aut in aliquo opus pium pro domino; quia ut docent D. Thomas, & Scotus, quando restitutio fieri non potest, ut profit domino corporaliter, fieri debet, ut profit domino spiritualiter.

### Q U E R E S I.

2728 *An, qui rem restituendam consignavit viro putato fidei, qui eam amisit, aut pro se iuravit, teneatur iterum restituere?*

**Q**uestum est fidei resolutum in 2. tom. d. n. 175. pag. 523.

### Q U E R E S I I.

2729 *Ad quid teneatur persona media, si rem restituendam amisit?*

**R**esp. si amisit cum culpa gravi, & mortali, tenetur quidem restituere; si sine culpa mortali, est distinguendum: vel amisit rem eandem in individuo, & tunc non tenetur restituere; non quidem ex re accepta; quia non extat, nec in aliquo est ex ea factus ditior: nec ex iniusta acceptatione, ut opponitur. Solum tenetur ex culpa juridica lata, aut levi, si se obligasset ex contractu, juxta dicta in n. 2668. quod fieri non solet. Si vero res, quam amisit, erit eadem in specie, quatenus eandem, v. gr. pecuniam in individuo, quam

T restit-

Examen Ecclesiasticum.

restituendam accepit, consumpsit in propriis usibus, tunc tenetur eam restituere; quia res domino perit, & sic perit ipsi personae mediae, cuius erat.

### QUERES III.

2730 Petrus Martius mutuavit Paulo mille aureos, cum pacto, ut elapso termino ea redderet, ubi contingit ipse reperiretur: interim Petrus pervenit Panorum dux cohortis, & quia est elapsion tempus mutui, quaeritur, an Paulus teneatur restituere suas expensas?

**R**esp. cum necessaria dilidictione: vel Petrus erat summam illam conservaturus, & secum transiaturus Panorum, sive in individuo, sive in specie, sive in aequivalenti: vel si habuisset Matrici, omnino fuisset ibi consumpturus, & nullo modo translaturus. Si secundum tenetur Paulus mittere eam summam Panorum propriis expensis cambii; quia ex mutuo in gratiam Pauli, quoad eas expensas emerit damnum Petro. Si primum, debet mittere expensas Petri; unde debet reddere deductis ex summa expensis cambii; quia nullum Petro emerit damnum ex mutuo; nam pares expensas fecisset, aut paria pericula subsisset Petrus seculo mutuo, transferendo illam Panorum; adeoque si mitteretur summa illa expensis Pauli, Petrus reportaret lucrum ex mutuo, & sic usuram committeret.

### QUANDO EST RESTITUENDUM.

2731 **R**ecceptum restituendum includit saltem praecipuum negativum non retinendi rem alienam; ratione cuius reducitur ad septimum Praeceptum Decalogi, *Non furaberis*: adeoque obligat semper, & ad semper ita tamen, ut quoad actum internum, statim ac advertit quis rem esse alienam, debet habere animum restituendi: quoad actum vero externum executionis, non tenetur statim, ac advertit, sed capta temporis opportunitate: alioquin id advertens noctis tempore in lecto, surgere deberet ad restituendum. Quod si habeat animum non restituendi: continetur, manet in continuo peccato mortali; si res sit gravis: quoniam ex Aug. epist. 54. ad Macedonium: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Si autem animus interrumpatur, ut si volens restituere retractat voluntatem restituendi; tot peccata committit, quot sunt actus interrupti.

Qui est obligatus ex contractu, non tenetur restituere, nisi dimpletis conditionibus, & elapso termino in contractu praefixo: quod si non elapso sit in mora culpabilis, tenetur sub mortali ad restitutionem, imo ad omne damnum, & interesse; scilicet, si sit in mora per paucos dies.

Liberatur ab onere restitutionis, sive pro

semper, sive ad tempus, si iusta addit causa, & qua modo: v. n. 2739.

2732 Confessarius non debet absolvere poenitentiam, qui tenetur statim restituere, si ter, vel quater eidem, aut alteri Confessario promisit restituere, & non servavit promissum: quia rem alienam detinetis, quam restituere potest, est in occasione proxima voluntaria peccandi, non minus quam qui detinet concubinam, quam potest abjicere.

### CAUSE EXCUSANTES A RESTITUENDIS

2733 **S**unt plures. 1. Impotentia physica, quia quis non habet quid restituere. 2. Impotentia moralis, quando quis restituere non potest sine probabili periculo damni alterius ordinis sui, aut suorum. Bona, in quibus homo non potest damnum pati, sunt quatuor, animae, corporis, famae, & substantiae corporalis; quorum unum est altioris ordinis altero, ut gradatim ponatur; restituitur autem cum sit ad ponendam aequalitatem, non est faciendum cum iactura boni superioris ordinis; hinc restitutio substantiae corporalis non est faciendum cum periculo prudenti peccati mortalis, vitae, seu damni corporis, aut cum infamia: v. num. 2727. & in tom. 2. pag. 513. & 514.

2734 Quae causa si sint perpetuae, perpetuo excusatur quis a restitutione; si ad tempus, restitutio suspenditur, seu differtur. Saepè dilatatur tempus restitutionis ex rationabiliter praesumpta voluntate creditoris.

2735 Qui habet iustam causam differendi restitutionem, non tenetur ad damna, & interese, quae creditori ex mora quaeruntur; quia non est mora culpabilis. Si autem differat ad evitandum proprium interese, tenetur resarcire interese creditoris; quia non est aequum, ut debitor se servet indemnem cum damno creditoris.

2736 Item, si damnum, quod patitur debitor restituendo, non sit notabiliter majus, sed aequale damno, quod patitur creditor ex dilatione, tenetur debitor restituere statim; quia tunc potior est conditio creditoris.

2737 Cessio bonorum excusat in foro externo: in foro autem conscientiae, qui cessit bonis, excusatur, non ratione cessionis: sed ratione impotentiae; unde si perveniat ad pinguium fortunam, tenetur restituere.

2738 Tenetur quis sub mortali restitutionem differre, si prudenter iudicet restitutionem futuram in grave damnum creditoris, vel cum abuturum in grave damnum tertii: quia tunc cooperaretur ad malum.

QUE.

### QUERES I.

2739 *Familus rapuit à suo domino summam pecuniae per quamplures vias, unum civitatis scutum pro vice, hic est gravatus familia, ut salvari-  
sum vix et sufficiat ad sustentationem. An innotuit statim data temporis opportunitate restituere?*

**R**esp. cum dilidictione: vel ille retinet eandem pecuniam in individuo, & tunc tenetur statim restituere; quia si res extat, domino extat, & sicut peccat quis etiam in gravi necessitate rem alienam furando, ut in n. 2637, ita rem alienam detinendo, & nemo debet sustentari de furto, nisi sit in extrema, aut quasi extrema necessitate, quatenus si restitueret, reduceretur in extrema necessitate: vid. nu. cit. Nec dominus tenetur dare salariam correspondens familiae, sed labori famuli, n. 2643.

2740 Vel ille pecuniam domini misit cum sua notabili, ut discerni non valeat, & tunc si totus cumulus extat, licet non teneatur restituere eandem pecuniam in individuo, cum per mixtionem ejus facta sit dominus, tenetur quamprimum restituere tantundem in specie de illo cumulo. Quod si in dies pecuniam de cumulo in magna parte consumpsit, itaut summa modicae considerationis remaneat, minor neque pecunia surrepta, sed propria, quam eo tempore successive habuit, eaque pro tenui summae sustentatione utatur tunc; epicheja attendenda: non est enim cogendus, ut statim restituat totam illam modicam summam, quae ex cumulo remanet; sed ut restituat paulatim iuxta propriam possibilitatem, ut discurremus de eo, qui rapuit, & rem raptam consumpsit; alioquin in gravissimas reduceretur angustias: & ita rationaliter de domini voluntate praesumitur.

2741 Epicheja est virtus faciens, ut legis rigore relicto, amplectamur, quod velle ratio dicitur; & quod rationabiliter faceret superior, aut dominus, si adesset, aut sceret.

### IN REBUS MISTIBILIBUS.

2742 **S**i rem alterius, v. g. frumentum, vitum, pecuniam ejusdem generis, &c. sine bona, sive mala fide, cum tua notabili miscetas, ita ut discerni non valeat, statim acquiris dominium ejus in individuo, nisi habeas animum explicitum non acquirendi dominium; unde si furive miscuisti, non tenetur ad restitutionem rei in individuo, sed in specie ex cumulo, si extet, aut in aequivalenti: v. n. 2737.

2743 Hinc si à fure, qui triticum alterius cumulo immiscuit, emas, etiam mala fide, magnum tritici, imo totam quantitatem ex cumulo, ad nihil te teneri; ait Tamb. tom. 1.

n. 27. quia fur vendidit ex suo, quoniam praefata mixtio transfert dominium, & aequivalere consumptioni, & solum remanet in fore omnis ad restituendum per aequivalentes: Ex alia parte emptor, cum solvitur pretium, in nihil factus est ditior. Item ait, si cum dono accepisti, & tunc sit aliunde potius restituere, quatenus alia possidet bona: quod si non sit aliunde potens, fatetur te teneri restituere; quia per donum, quoad accipere, fur factus est impotens tua causa, & tu ditior. Ita discurret Tamb. cit.

### QUERES II.

2744 *An possit quis licitam restitutionem differre, ne cadat à suo statu, & conditione?*

**R**esp. si status est in jure acquisitus, tempore extat, non potest differre, sed tenetur restituere statim; quia per restitutionem non cadit de statu iuste acquisito, sed ad priorem & proprium redit: Et solum potest aliquid pro tenui sustentatione retinere, si alias in extremam reduceretur necessitatem; quia in hac licitum est aliena accipere: v. n. 2627.

2745 Si autem status est iuste acquisitus, licet illa debita contraxit, & in necessitate reparatur ex propriis delictis, quia luxuriose vivit, licet, & tunc potest solutionem differre, ne notabiliter cadat à suo statu; si res aliena in individuo non extat, aut in pretio; nam si extat ipsa pecunia aliena, aut generis, v. g. ex ea empti, adest statim restituenda, ut ex no. 843. Ratio autem differentis, si res non extat, est, quia tunc dominus non est rationaliter invidus.

2746 Licet autem debitor non teneatur notabiliter, seu excedere de proprio statu cadere, tenetur ex iustitia, nedum paulatim restituere, & solvere, verum etiam curare, ut non plus aequo solutionem differat; ac proinde debent non solum à ludis, commensationibus, ac variis expensionibus se abstinere, sed etiam aliquod incommodum sentire: non enim notabiliter de suo statu cadere dicitur, qui tri- buis quadrigis gaudens, una privetur, atque competeret familiarum reformet ad tempus; ex quo quidem, tam apud Deum gratiam, quam apud homines prudentes, splendorem hand vulgarem consequitur.

Hic est icopulus, in quo saepe Mignates, & infimul cum illis viri aequo docti, quam adulationes, proprias conscientias fragant: Caveant Confessarii.

Scotus in 4. dist. q. 2. §. de quarto lit. Z. & q. 3. Matris in Theol. moral. disp. 7. & 9. Ioan. la Cruz 7. praec. q. 7. pag. 196. Bonac. to. 2. de restit. disp. 1. Tamb. tom. 1. lib. 8. tr. 3. & 4. pag. 227. T. 2. Bu.

Busem. lib. 3. et. 5. c. 2. Diana in pluribus locis Clericatus c. 75. Meno de rest. De restit. pro homicidio, stupro, adulterio, bello &c. v. in propriis titulis.

## DE RESTITUTIONE FAMÆ.

2747 **I**njuria contra famam committitur. 1. Per actum internum, nempe per judicium temerarium, & hoc non obligat ad restitutionem, nisi manifestetur exterius alteri non manifestatis indicis levibus, ut in n. 2664. 2. Per actum externum, nempe per contumeliam, detractionem, &c.

## JUDICIUM TEMERARIUM

2748 **E**st, quo quis sine sufficientibus indicis certo affirmat aliquod malum de proximo.

2749 Ad hoc ut sit mortale, quatuor requiruntur conditiones. 1. Ut sit in materia gravi; gravitas autem, & levitas attendi debet, vel ex ipsa substantia materia, vel ex qualitate persone. Hinc veniale est temere judicare de Petro furtum unius julii, & de juvene parum honesto, quod per locum aliquem transeat ad inhonestam, ac de milite ad vindictam hostis; non enim inferitur eis gravis injuria, cum de hujusmodi gloriarī solent. Similiter veniale erit, de ignoto, aut de indeterminato temere judicare.

2750 2. Ut iudicium formetur tanquam mortaliter certum. Hinc suspicio, dubitatio, aut opinio temeraria non est mortalis, sed venialis, quia cum sint actus imperfecti in genere iudicii, nec totaliter tollant possessionem bonæ famæ, non censetur gravis injuria, nisi aliis manifestes. Nec erit mortalis, si manifestes non, vel alteri probo, & prudenti, in quibus non est periculum famæ. Imo nullum erit peccatum, si suspicionem manifestare superioribus, aut iis, in quibus potes, ad grave malum vitandum, aut alio iusto capite.

2751 3. Ut iudicium sit ex levibus conjecturis; nam si sit ex gravibus, & sufficientibus, iudicium erit prudens, quod prudentiā discernendum relinquatur. Ea dici possunt indicia levicia, quæ ex communi hominum usu sunt indifferenter, aut raro conjuncta cum tali effectu, ea vero sufficientia, & proportionata, quæ ut plurimum solent cum eo esse conjuncta, ut si quis noctu per scalam fenestram occulte aperire tentet, est iudicium sufficiens cum iudicandis fuerit; secus, si dic, & publice; tunc naque potius iudicari debet clavis amissa. Item non est gravis injuria certo judicare, quod est valde probabile, v. g. juvenem inventum solum cum puella in cubiculo, inhonestam tractasse.

2752 4. Ut iudicium sit plene deliberatum; hoc est cum plena advertentia temeritatis, & malitiæ gravis, & cum plena voluntatis libertate. De quo infra de peccatis.

2753 Et quia raro omnes quatuor allatæ conditiones interveniunt, raro iudicium temerarium est mortale. Quando autem omnes interveniunt, est mortale, quia est gravis injuria proximo contra iustitiam; sed non est opus explicare speciem mali iudicari, quia omnia mala iudicata uni iustitiæ commutativæ in specie infima opponuntur: v. n. 2757.

## DETRACTIO

2754 **E**XD. Thom. est aliena fame per occultata verba in iusta causa, & denigratio. Contingere potest dupliciter. 1. Directe, scilicet crimen imponendo, vel verum, sed occultum revelando. 2. Indirecte, bonum proximi negando, vel malefice tendendo ex intentione nocendi famæ. Modi, quibus proximi fama læditur, comprehenduntur his verbis: Imponens, arguens, manifestans, in mala verens; Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatve renissit.

2755 Crimen fit publicum jure, vel facto jure, si sit de eo lata sententia à iudice; factum si sit commissum in multorum presentia, aut in eo loco, vel tempore, v. g. in foro, &c. ut sit facilliter promulgandum; sicut tamen ab his, qui sciebant, promulgatum est, & apud eorum linguas versatur. Univerfaliter publicum censetur, quando circumstantiis attenditur prudenter exilimatur crimen facilliter promulgandum: v. in tom. 2. n. 72.

2756 Gravitas attendi debet ex qualitate rei, & conditione persone. Hinc de Prelato optimæ famæ dicere, quod sit astutus mentis, est grave contra famam.

Regulariter non est mortale revelare defectus naturales, ver. gr. quod sit ignavus, stupidus, illegitimus, &c. nisi inde aliquid damnosi sequatur; quia non sunt defectus morales culpabiles in generali, ver. gratie defectus morales in generali, ver. gratie defectus superbi, iracundia, &c. quia prudente de naturali inclinatione dicta censentur.

2757 Mortaliter peccas, & detrahis, si de determinata persona in generali dicas: Te scire quid de illo, quod si dicas, scis cum magno rubore affecturus. Non est mortale, de aliquo ignoto, vel indeterminato male loqui, nisi redundet in

alio.

aliorum damnus; mortale autem de Monasterio Religioso in communi male loqui. Non tenet explicare in quo genere detraxisti; quia fama est ejusdem speciei: v. n. 2753.

Nec numerum personarum, quibus detraxisti; debes tamen dicere: Graviter detraxi pluribus. Alias non explicas peccatum, quod si paritasti. Debet exprimi, si fuerit per libellum famosum, quia notabiliter aggravat, & lædit.

2758 Non est mortale revelare peccata mortalia proximi, quæ secundum hominum exilimationem, sive ratione sui, sive ratione persone, aut alterius circumstantiæ, non sunt infamatoria, nec aliud damnus inde sequitur v. gr. de milite, aut nobili, quod duellum commiserit, quod juvenis proparum honesto habitus sit fornicatus, &c. nam de similibus jactari solent.

2759 Non est mortale. 1. Si quis delictum infamatoricum contra ipsum ab alio factum uno, vel alteri viro prudenti non divulgatur manifestet; quia non censetur læsio gravis. 2. Si illud contra se commissum amico referat, non animo lædendi, sed leniendi dolorem; quia humana conditio non patitur, ut quis gravem offensam recipiat, & non se delectat, ac querat solamen. 3. Si manifestes delictum occultum, quod moraliter certo scis brevi futurum publicum, vel per sententiam iudicis, vel per facti evidentiam. 4. Si infamem in uno delicto, de alio valde affini, & eo connexo, aut quod persone similis conditionis committere solent, infames; ut de luore, quod fit blasphemus: secus, si de disparato.

5. Non est mortale, sed veniale, illud referre sub dubio, vel ex auditu, etiam si qui audiunt, credant; quia id imputatur eorum levitati. Quod si prævidet, auditores esse leves ad credendum, vel si id referat animo nocendi, tunc peccat mortaliter, sed contra charitatem, quia obligatur ad non inferendum alteri malum, sed non contra iustitiam; quia talis actus non est ex natura sua ablativus famæ, nisi relatum firmes autoritate, dicendo te id audivisse a personis fide dignis.

6. Similiter delictum in uno loco publicum in alio ubi est ignotum, publicare, non est mortale, nec contra iustitiam; quia per publicationem delicti in uno loco, amittit jus ad famam; unde licet in loco remoto, ubi id ignoratur, habeat famam, non habet jus ad famam; nec contra charitatem, nisi fiat animo nocendi; hinc sine scrupulo videmus, delicta gravissima in uno loco publica, per historias, & typos atque ad remotissimas partes, ubi libri perveniunt, una cum ipsis reis publicari.

Examen Ecclesiæ.

2760 Nullum est peccatum. 1. Manifestare delictum, aut vitium alicuius Superioris, Patris, &c. pro correctione. 2. Ad impediendum damnam innocentis; unde licitum est opportuno modo nocere proximum, quod Petrus, qui ejus domum frequentat, fit fur, & inde caveat; quia illa non est offensio, sed defensio, nec quis habet jus ad famam cum damno proximi: v. ro. 2. pag. 505. 506. & 507.

2761 Peccat mortaliter tam contra charitatem, quam contra iustitiam, qui alteri famam criminem imponit, sive in iudicio, sive extra, ad elidendam detraheatis auctoritatem magnam, sibi noxiam, aut calumniam, vel ut suam iustitiam, & honorem defendat; quia mendacium est ab intrinseco malum, ut neque certo mortis periculo cohonefari valeat: v. n. 143. & 225. Imo in iudicio adest perjurium tam ipsius imponens, quam tellum; ad quod ipse principalis cooperari debet, testes subornando ad falsum: Hinc ait D. Th. Fallaciam proponere in malo casu licet aliena; adeoque qui calumniam tibi imposuit, habet jus strictum, ut non laedatur in fama, fraude, dolo, aut mendacio; quia mendacium infamatoricum non est medium proportionatum ad assequendum cum madamem inculpate tutelæ.

2762 Unde tunc solum licitum est tibi crimen detractoris, seu calumniatoris occultum, sed verum, revelare, ut sic te defendas, & ejus calumniam elidas, reddendo eum inhabilem, mendacem, nullius fidei, &c. si alia tibi non suppetat via; quia tunc utris medio proportionato ad defensionem cum moderamine inculpate tutelæ. Quod si alia tibi suppetat via ad defensionem, eum infamare non potes, neque jure compensationis, quia esset vindicta, juxta dicta à n. 2085. v. in pag. 5. prop. 43. & 54. ab Innoc. XI. damn.

2763 Infamare seipsum, revelando occultum delictum sine rationalibuscilia, ex levitate, non est mortale, sed veniale, nisi id cedat in damnum, aut scandalum aliorum; quia licet quis est dominus bonorum fortune propria industria acquiritorum, ita & bonæ famæ pariter propria industria acquirite, cuius solum dicitur prodigus. Imo potest esse actus virtutis, si fiat ob subeundam penam condignam, aut ob humilitatem, ut plures Sancti fecere.

2764 Venialiter, non mortaliter peccat, qui ad vitanda non levia, sed graviora tormenta sibi falsum crimen imponit, ob quod est morte puniendus, aut mutilandus; peccat venialiter, quia est mendax; non mortaliter, quia non est mendacium perniciosum, sed officiosum; non enim cooperatur morti directæ, & per se, sed indirectæ, & per accidens; dire-

T 3



At vero vult gravia tormenta morte aequivalenti vitare, qua ratione licite infirmus mortem sibi eligit, ut sectionem membri, aut curis decinet: v. n. 2075. Peccat autem mortaliter, si addat juramentum, ratione perjurii; vel si cedat in damnum, aut infamiam alterius; qua non est dominus bonorum, aut fame alterius.

## CONTUMELIA

2765 **E**st iniqua, qua alteri crimen, aut alius defectus in eius presentia obicitur, v. g. appellando furem. Unde à detractioe differt, sicut rapina à furto; nam detractio lædit proximum in absentia, contumelia in presentia, hinc illa lædit solum famam, ista vero famam, & honorem, adeoque est ex peccato mortale, nisi parvas materias, aut defectus plene deliberationis excuset.

2766 Non peccat Superior, si subdito verbum contumeliosum obicit, non animo inhonorandi, sed humiliandi, aut corrigendi, nisi excedat in modo. Sic Christus Apostolos fluitos vocavit, & Paulus Galatas insensatos.

2767 In Regnis Hispaniarum contra quasi-licet personas Ecclesiasticas, aut seculares, contra Religiones, Religiosas personas, aut in censurandis opinionibus, injurias, & contumelias protulerunt, Tribunal Supremæ Inquisit. Hispan. infligit penas excommunicationis majoris, exilii, & privationis officii, si quo in Sancto Tribunali gaudeant, idque per tria decreta observavit de an. 1696. die 19. Octobris, ubi comprehenduntur omnes transgressores, typographi, & cooperatores, publicata Panormi die 6. Februarii 1697.

2768 *Contumelia, & improprium, conveniunt cum contumelia, similiter desivo & infamatio, quo motus injuriæ corporis fieri solet, murmuratio vero & insurrexio, cum detractioe. Murmuratio est, qua quis factum aliquod publicum, quod potest in bonam partem accipi, in malam partem accipit, ut Luca c. 11. in Beelzebub Principe Demonionum ejectione demonia. Est mortalis, si habeat sociam detractioem gravem. Solutio est allocutio mala de proximo ad tollendam amicitiam istius cum alio.*

## RESTITUERE TENETUR

2769 **S**uervo à amicitiam reconciliando. Contumeliosus honorem, vel petendo veniam, vel honorifice salutando, aut per aliam honorificam demonstrationem. *DetraCTOR famam, non minus, quam fur bona fortunæ, qua ex Prov. 22. Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.*

2770 *Qui imposuit crimen falsum, tenetur restituere famam, cum retractando coram iudice, apud quos fuit impositum, & eodem modo, nempe publice, si publice, etiam si exinde ipse infamatur; quia (ut ait Scotus in 4. dist. 15. q. 4. lit. C.) fama detracti prævalere fame detractoris; nam illi iuste competit fama, huic iniuste; unde non est huic debita fama. Et ideo directe ostendens innocentiam alterius, indirecte innocentiam sui, non tunc proprie diffamat se, sed amovere falsam laudem, qua ipse post accusationem mendacem indignus est: v. n. 3776.*

2771 Beltrandus in 8. pr. ex Bonac. ait, esse valde amarum huic restituendi modum; unde sufficere putat, si de persona infamata in generali dicatur: *Quod sit persona virtuosa, & honoris & quod ii, qui mala dixerunt, decepti sunt, & quod tempus id discernere faciat.*

2772 Si primi auditores alius divulgaverunt, tunc principali detractor, si publice diffamavit, etiam apud alios restituere famam tenetur; quia tunc ipsi imputatur totum damnum, & divulgatio. Excusare potest impotentia moralis, puta si adeo infamia divulgata reperitur, ut moraliter impossibile sit, restituere apud omnes: *Vide detractoris angustias.* Si vero occulte detraxit, tunc sufficit, si te retractet apud auditores immediatos; quia tunc illis divulgatio imputatur, qui non debent crimen proximi ab uno privatim, & confidenter dictum, alii pronalere, hanc esse Confessariorum praxim, & observat de Lugo: *Eo namque ipse, quod detractor apud immediatos detractores retractat, implicite illis committit, ut indicent aliis, si quisvis forte revelaverit, Malitius.*

2772 **E**um, qui bona fide alium diffamavit, potius, crimen esse verum, & publicum; solum tenei restituere ex charitate, volunt prout, adeoque cum commode potest, & sine furo rubore. Verius tamen est teneri ex iustitia, uti ex te accepta, cum par sit ratio: v. n. 2691. Nec video in te ruborem, sed potius splendorem. Si auditoribus dicas: *Te crimen illud manifestasse, quia potabas verum, & publicum, modo vero veritas falsum, & te doctum.*

2774 **Q**ui publicavit crimen occultum, non debet dicere, crimen esse falsum; quia mentiretur, & ob nullum bonum mendacium est licitum; sed sufficenter te restituere docent D. Thomas, & Scotus *lit. cit.* E. si dicas: *Non creditis enim esse verum, male dixi; vel laudando, dicendo eum esse bonum, presertim laudando in ea specie virtutis, qua diffamasti; & tunc non mentiris, quia ex jure quilibet est præsumendus bonus, nisi certo conitet, quod sit malus: subdit Scotus: Sed iste non est probatus malus coram iudice,*

ergo

*ergo bonum est persuadere eis, quod ipsi non reputent indignum, nec malum.*

2775 **Q**ui defunctum graviter diffamavit, peccavit mortaliter, & restituere tenetur, non suffragia, quia sunt altioris ordinis, sed ipsam famam modis jam re atis ipsi defuncto, aut heredibus, si in eos infamia redundavit.

## A RESTITUTIONE FAME. QUIS EXCUSATUR.

2776 **P**rimo, si fama non sit ablata, credentes auditores prudentes non querentur; quod contingere solet, quando detractor nullius est fidei: in quantum sæpe comperitus est mendax, detractor, ac loquax, & auditores sunt viri timorati, ac prudentes. Vel quando quis detrahit, ostendendo passionem, iram, aut odium; tunc sæpe prudentes non credunt, sed judicant dixisse ex ira, passione, &c. quia tunc nullum sortitum est damnum: *vid. n. 2778.*

2777 **Q**uando prudenter existimatur, infamiam esse oblivioni traditam; quia tunc cessavit damnus, & periculosus esset memoriam delicti restitutione perfricari. Tempus, quo confertur, possint oblitari, remittitur prudente Confessarii, & viri experti: id maxime colligi potest, si notabili tempore elapso, nulla sit facta mentio delicti.

3. **Q**uando fama est alia via recuperata, v. g. per testimonium alterius persone fide dignæ, vel per vitam exemplarem.

4. **S**i delictum, occultum, quod dixisti, fiat alia via publicum.

5. **S**i restituere non possis sine jactura boni altioris ordinis, puta anime, vite, membro, vel fame: tunc longe majoris valoris, hinc Prælati non tenetur restituere famam persone vili, nec vir valde illustri pebejo, si id non possit sine jactura propriae fame; sed sufficit, si restituat laudem.

6. **S**is, cui detraxisti, tibi pariter detraxerit, & non velit restituere, quia tunc inter compensationem, si infamia non redundet in alios.

7. **S**i infamatus sponte condonaverit; quia est dominus sue fame: aut non potest quis condonare, si infamia redundet in alios, seu in aliorum damnum: quia est dominus sue, non alterius fame; aut boni.

8. **Q**uando restituitur est facta moraliter impossibilis, quia ad impossibile nemo tenetur.

2777 **Q**uando quis est impotens ad restituendam famam, non tenetur eam pecunia compensare; quia fama, cum sit altioris ordinis pecunia, non potest ejus pretio compensari: *vid. n. 2678. & 2103.*

2778 **S**olitudo infamare, seu detrahere, tenetur restituere, si lædat apud simplices, & idiotas; quia hi solent facilliter credere, immo divulgare: unde tunc est veritas facta. Er tota ratio, quod non tenetur, si apud viros prudentes, ac timoratos detraxit, est, quia illi non credunt, inde non est in re facta læsio, ut in n. 2766.

## AUDIENS DETRACTOREM,

2779 **S**i detractio gravi consentiat directe, videlicet inducendo, movendo, excitando, quodque fieri solet, etiam interrogando, peccat mortaliter, tam contra charitatem, quam contra iustitiam, sicut dictum est de eo, qui cooperatur ad damnum proximi in bonis fortunæ, unde ad restitutionem tenetur juxta ibi dicta.

2780 **Q**ui solum consentit indirecte, non excitando, sed de ea compiacendo, & se delatando, peccat mortaliter contra charitatem; quia delectatur de malo gravi proximi: sed non contra iustitiam, quia non est causa effectus damni famæ, nisi impedire tentatur ex officio, uti est Superior. Imo etiam mortaliter peccat, si potens sine incommodo impedire, non impediat, sed audiat, etiam si non compiacet, & iusta dispendia de charitate ex proximo. Hi autem ultimus raro peccat mortaliter, quia regulariter causa excusans adest.

2781 **C**ausæ à mortali excusantes sunt 1. Si detractio sit levis. 2. Si sit gravis, sit tamen coram uno vel altero prudenti. 3. Si rationabiliter putes auditores non credituros. 4. Si adversariæ tuam voluntatem, aut monitionem non profuerunt, quod contingere potest, vel quia audient est longe inferior detractor, quia detractor est insolens, ita accessus est, imo sæpe monitis potest esse excitatio ad invidiam, & de virosiorum detractioem. 5. Si non est moraliter certus, quod loquens loquatur in malum, & de gravi crimine occulto. 6. Si iudicet detrahentem habere istam causam, videlicet, ut consilium petat, ut sibi damnum levius, ut te utiliter moveat. *Ord. 7. Si tamen non fuerit damnus, vel gravior tua interest, non tenentur defendere infamatum. 9. Quando ex rationalibus verocordia, aut pessimilitate non audeat resistere, & infamia proximi non est iræ gravis, ut iudices cum tanta tua difficultate impedit, ita fere Tumb. Ratio est; quia charitas non obligat cum gravissimo commo, sine necessitate, aut utilitate.*

Scotus in 4. dist. 15. q. 4. Matr. in Theol. mor. dist. 9. q. 3. Jo. n. la Crux 7. pr. pag. 256. Bonac. tom. 2. pag. 517. Tamb. 10. 1. pag. 200. Bulemb. lib. 3. tit. 6. c. 1. Diana in plurib. loc. Mendo verbi. *DetraCTOR, Clericatus c. 104.*

DE VIII. PRÆCEPTO  
DECALOGI.

Non falsum testimonium dices.

## MENDACIUM

2782 **E**st enunciatio falsa cum conscientia opposita, & cum voluntate fallendi. Est triplex: Perniciosum in damnum alterius; Joculosum ob delectationem, & Officiosum ob utilitatem. Perniciosum, si sit in damnum regulare, est mortale. Joculosum, & officiosum regulariter est veniale, nisi sit adjuncta circumstantia, ob quam aliam virtutem à veritate distinctam graviter lædat.

2783 Hinc venialiter peccat penitens, si neget peccatum veniale, quod commisit, aut factum, quod non commisit; quia solam veritatem locat: at peccat mortaliter, si consecrat veniale, quod non commisit, quodque sit materia totalis Sacramenti; quia cum nullum det veram materiam, facit Sacramentum nullum, & sic committit sacrilegium. Item à mortali non excusat Sacerdotem, si dum lacris vultibus induitur, aut est indutus proxime celebraturus, mentiatur, ob scandalum, quo audiens, mendacium advertens, posset Sacerdotes contemnere, & viles habere: v. n. 143. & 1559.

## TESTIS.

2784 **Q**ui falsum testatus est scienter, tenetur se retractare cum aequali, & paulo majori suo damno; quia in aequali damno potior est ratio innocentis. At non tenetur se retractare, si sit mortaliter certus, retractionem non profuturum; quia nullus obligatur ad operum inutile; nec si testis fuit ultimus, & reus repositus sit convictus per alios testes; quia tunc non est causa ethica damni. Nec cum suo damno longe altioris ordinis: v. n. 2766. Si vero falsum testatus est ignoranter, inadvertenter, & sine peccato mortali, tunc tenetur se retractare; at non cum notabili suo damno, etiam minori; sed est discurrendum, sicut de restitutione ex re accepta: v. n. 2691.

De reo, & teste: v. à numer. 1728. ad 1764. 1764. & teste in tom. 2. à pag. 502. capit. 2. præsertim n. 73.

## CASUS DE INSTRUMENTO.

2785 **P**etrus amisit quoddam instrumentum publicum, & legitimum, v. gr. te-

stamentum, &c. an peccet graviter, si aliud simile privatim conficiat?

Resp. In foro externo hunc præsumi falsarium, & puniri; quia de veritate non conilat. In foro autem conscientie (de quo est sermo) non peccat mortaliter, sed ad summum venialiter, docet Arsidekin in tom. 2. pag. 159. quest. 13. cum Mendio in *lutra* disser. 13. q. 17. Nav. c. 17. n. 168. quia nulli damnium, aut injuriam infert; sed solum peccat contra veritatem, non facti, aut scripturæ formalis, sed scripturæ materialis; quatenus proponit scripturam illam materialem credendam esse instrumentum autoritate publica primo confectum. Plures apud Arsidekin eum à veniali, & à mendacio excusant. Idem tenent Bauhus, & Sà apud Anton. à Spir. Sæc. 1. c. 5. de *jur. disp. 1. sect. 9. n. 54.* qui eos sequitur tantum quoad privatas scripturas: At in consultiis nostram sententiam probabilem vocat, & pluribus rationibus & auctoribus confirmat.

## SECRETUM NATURALE

2786 **I**mponitur, vel expresse, ut Tibi dico sub sigillo confessionis, sub secreto naturali, ut nomen dicas, &c. vel implicite: Tibi dico, ut amico pro consilio, ut dolorem leniam, &c.

2787 Obligat sub mortali, si res sit gravis considerationis, & ejus violatio cedat in grave damnium, aut in gravem displicentiam ejus qui secretum commisit; quia tunc violatio secreti valde nocet societati humane, & est gravium discordiarum causa. Quod est verum, etiam si uni, vel alteri viro prudenti dicatur, si qui secretum imposuit, iis specialiter non velit secretum revelandum. Idem dic de literarum injuriola aperiitione, nisi prudenter presumas auctorem litterarum non iovitum, aut nisi id facias ad vitandum grave damnium injuriam, quod inde prudenter times.

2788 Magis peccant Secretarios, & Notarios publicos, qui tenentur ex officio, & sub juramento ad secretum. Non est peccatum revelare secretum naturale, etiam juratum ad impediendum damnium publicum, aut tertie personæ innocentis, seu si secretum sit de delicto pattando. Est autem mortale illud revelare, si damnium sit jam factum, & non pendet in futurum: vide num. 126. 1704. à 1733: ad 1736. 1623. 1696. & 1697. & tom. 2. à numer. 55. pag. 505.

Scotus in 4. dist. 15. quest. 4. lit. F. Mastr. in theol. mor. disp. 11. q. 9. Joann. à Cruce 8. præci. Busemb. lib. 4. c. 3. dub. 4. 6. & 7. lib. 5. cap. 3. dub. 2. num. 6.

## PARS

## PARS TERTIA.

## De quinque Præceptis Ecclesiæ.

## DE I. PRÆCEPTO.

Audire Missam diebus Dominicis, & festis de Præcepto.

2789 **F**ideles, postquam ad usum rationis pervenerint, qui regulariter post septennium expletum præsumitur, tenentur sub mortali audire Sacrum diebus Dominicis, & festis de præcepto.

2790 Ad satisfaciendum huic præcepto quatuor requiruntur. 1. *Præsentia moralis.* Hinc nec est necesse, quod actu audiat Sacerdotem aut videat: nam mutus, surdus, aut ob multitudinem populi distans, ut actu nec audiat, nec videat, satisfacit, si sacrificio sit præsens; adeoque *per auditionem Missæ*, intelligitur actio, qua quis sacrificio est præsens, etque assistit modo humano, corpore videlicet, & mente, & in tali distantia, ut possit Sacerdotem videre, ejusque Ministerium, & actiones attendere. Unde non satisfacit, qui à fenestra suæ domus extra Ecclesiam sitæ Missam, quæ intra Ecclesiam celebratur, audit; quia non est moraliter præsens. Affirmat tamen Tambur. lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 14. & Clericatus cap. 109. num. 7. Similiter, nec qui extra januam Ecclesiæ positus, eam audit; nisi id contingeret ob multitudinem nimiam populi, quam Ecclesia capere non valet, quia tunc censetur moraliter præsens ratione conjunctionis cum multitudine, cum qua constituit unum corpus morale fidelium, Sacro præsens, & assistens.

2791 2. *Intentio.* Requiritur, inquam, intentio audiendi Missam saltem virtuale, aut interpretativa, quam v. in tom. 2. in *Examen, et dinand.* n. 206. unde qui in Ecclesia est præsens Sacro non animo audiendi Sacrum, sed expectandi amicum, non satisfacit; quia actio illa auditionis, est pure casualis, externa, & non humana; Ecclesia autem præcipit actum humanum, ac proinde voluntarium, seu actum mixtum ex externa audicione, & interna voluntione: v. n. 184.

2792 E contra, si audis, habens intentionem audiendi, non tamen satisfaciendi per illud Sacrum præcepto, sed ob devotionem; si postea aliud Sacrum non audias, satisfacisti præcepto; quia præceptum vult audicionem hu-

manam; animus autem non satisfaciendi præcepto hac, vel illa audicione Sacri, non facit, quin auditio illa fuerit humana. Tum quia aliud est loqui de animo non satisfaciendi præcepto hac, vel illa audicione Sacri, aliud de animo absolute non satisfaciendi præcepto; quia hic, utpote exclusivus actionis præceptæ, est mortalis: v. n. 145.

2793 Item, qui audit Missam ob devotionem, ignorans esse diem festum: si postea advertat, non tenetur ad aliud Sacrum; quia jam satisfecit, tam ob allatam rationem, quam ob virtuale intentionem satisfaciendi.

2794 3. *Attentio.* Requiritur sub mortali, Dian. Card. de Lugo, Tamb. & alii volunt, sufficere solam attentionem externam, quatenus dum quis assistit Missæ, non occupetur in aliqua actione externa moraliter impossibili cum audicione, v. gr. pingendo, scribendo, confabulando, &c. adeoque non obitare solam internam distractionem mentis etiam voluntariam; quia Ecclesia, præcipit audicionem externam, & orationis substantia non dependet ab attentione actuali interna.

2795 Dico tamen, sub mortali requiri attentionem internam, Matrisius cum Cajetan. & Bonacin. quia Ecclesia, præcipiendo audicionem Sacri, præcipit actionem humanam religiosam, qualis non est, nec auditio Sacri, nec oratio sine ulla profusa attentione interna, sed cum omnimoda voluntaria distractione interna. Omnino v. dicta à numer. 286. & 424.

2796 Attentio vero interna est triplex. 1. Quia attenditur ad actiones Sacerdotis. 2. Quia attenditur ad significationem verborum. 3. Quia inde mens ad Deum elevatur, contemplan-do videlicet mysteria, quæ per actiones, aut Sacerdotis verba exprimiuntur. Secunda attentio est melior, tertia est optima, sed sola prima est necessaria. Quia præceptum, de audicione Missæ, non est de oratione, sed de assistentia Sacrificio. Requiritur igitur, ut saltem virtualiter, & in consensu attendas ad actiones Sacerdotis. Unde est mortalis voluntaria distractio notabilis; secus si sit involuntaria, ut sæpe contingere solet, aut voluntaria, sed brevis: v. n. 441.

2797 4. *Integritas:* unde mortale est partem notabilem omittere. Parvam partem partem